


Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
QUINTA

DE OPPOSITO VIRTUTIS, SPONTANEO ET INVITO.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinboths
Altenburgô - Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem Martii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

ANDREAS Moritz Brandeb. March.

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,
Anno CIↃ IↃC XXXVI.

Cum Deo!

I.

VIrtuti opponitur vitium quod Græcis κακία vel malitia appellatur, estq; habitus prælectivus, à mediocritate, contra præscriptum rectæ rationis, & viri prudentis, recedens.

2. Estq; duplex ἡ ὑπερβολὴ Excessus & ἔλλειψις defectus *l. 2. Eth. c. 6. §. 2. a. 8. in pr.* quod postremum quoq; ἔνδεια hoc est indigentia appellatur *l. 2. Eth. c. 2. §. 2.* Excessu magis quam decet ! Defectu autem minus quam decet agimus. Et hæc vitia fallaciter sæpe virtutes imitantur, ut prope adnitendum sit, ne incautos nos decipiant, *monitore Cicerone, in partit.* Qua de re etiam Horat. *l. 1. Satyr. 3.*

3. De utroq; extremo id notat Philosophus 1. quod alterum contrariatur & virtuti & alteri extremo, *Tres*, inquit, *sunt dissensiones c. 8. duæ quidem vitiositates, altera per exuperantiam, altera per defectionem, vera verò virtus mediocritas,* πᾶσαι πάσαις ἀντίκειν(ται) πως· αἵ τε γὰρ ἄκραι καὶ τῇ μέσῃ καὶ ἀλλήλαις ἐναντίαι εἰσίν, ἡ δὲ μέση ταῖς ἄκραις. i. e. *omnes omnibus opponuntur quodammodo, extremæ enim & ei quæ media est, & inter se contrariæ sunt; media verò extremis.* Idem repetit *l. 1. Magn. Moral. c. 9. & l. 2. c. 5.* Inde etiam *l. Categor. c. 10. dicit: Bono semper malum, Malo autem nonnnnquam & bonum & malum opponi.* 2. Quod interdum unum magis virtuti mediæ contrarium sit, quam alterum, unde *l. 2. Eth. c. ult. § 2.* dicit: δεῖ τὸν στοχαζόμενον τοῦ μέσου μὲν ἀποχωρεῖν τοῦ μᾶλλον ἐναντίου h. e. *Qui medium conjectat, ab eo eum extremo imprimis recedere atq; deflectere oportet, quod virtuti mediæ magis contrarium est.* Ad quæ 3. adjicimus, non ita intelligendum, quasi uniuscujusq; virtutis moralis excessus & defectus debeant assignari. Excessum enim quod justitia excludat infra videbimus.

4. In quo discursu illud 1. dubium est, quomodo vitia possint alicui contrariè opponi, cum non sint extrema positiva. Vitium enim privationem esse omnes concedunt. Priori insuper obstat *l. 10. Met. c. 6. t. 14.* Ubi uni plura contraria esse non posse perspicuum esse, ait Stagirita, quod repetit *t. 17.* & assignat simul rationem, quia inter contraria est maxima distantia, at maxima distantia est inter duo. Altero verò 3. idem ex *c. 6.* desumptum, ubi contraria definiuntur, quæ maximè ab eodem genere distant. E. si datur extremum, magis distans à virtute quam alterum, illud quod minus distat, sub eodem genere, non maximè distabit, & sic assertum Aristotelis, vel *in c. ult. l. 6. Eth.* vel *in l. 10. Metaph.* absurdum erit.

5. Ad *primum* dicendum est, aliud est, esse aliquod extremum privationem, aliud esse Ens privativum. Duo namq; in vitio occurrunt. 1. habitus & actus, v. g. in fure quod manum extendat & quidem promptè objecto quodam idoneo præsente. 2. Ipsa à rectâ ratione deflectio, quatenus v. g. fur extensione sua & habitu utatur ad contrectandam rem illicitam, ut & quod semper eligat alterum decipere. Prius doctrinæ caussa materiale à Scholasticis dicitur; posterius formale. Atqui cum vitium utrumq; includat, oritur etiam concretum quoddam, ex positivo atq; privativo, adeoq; Ens privativum. Atqui ejusmodi Entia propter materiale contrariis ab Aristotele expressè in Categoriis annumerantur, quemadmodum & in vitiis apparet, quæ ibi exempli loco ponit, & in morbo, cujus licet humores quid reale sint, tamen absentia virium & quod humores sint præter vel contra naturalem constitutionem privationem etiam innuunt, ut non hoc obstet quo minus ad priorum numerum referantur ab Aristot.

6. Dices privatio est absentia habitus in objecto capaci, atqui vitium est absentia virtutis, in homine. E. Respondeo 1. Eodem modo de morbo possum subsumere, qui est negatio sanitatis, & expressè *ib. c. 10. l. Categ.* ad contraria refertur. Imo de quocunq; contrariorum videtur verum, quod unum extremum alterum neget. Aliud igitur 2. est negatio formaliter, aliud verò quod

tantum

tantum negationem includit. Inde 3. Aliud est privatio, aliud Ens privativum. & 4. habitus in oppositione τῆς privationis, non notat quamcunq; qualitatem firmam & stabilem, sed quamlibet formam sive actum, qui haberi potest, ita ut amissus à subjecto semel naturaliter recuperari nequeat, v. g. visio est ejusmodi habitus. Non tamen est habitus ex crebris actionibus comparatus, semel enim amissâ visione cæcitas sequitur, qua quando objectum semel denominatur, visio per naturam introduci nequit.

7. Dico per naturam. Quod enim habitus interdum restituitur subjectis privatione notatis, v. g. Bartymæo apud Johan: visio, Lazaro & aliis vita, ut hominibus etiam mortuis in extremo judicio, illud per omnipotentiam Dei, & extraordinario concursu fit.

8. Ut prius solvatur, notandum ex *Donato Acciajolo, in Comm super l. 2. Eth. c. 8.* Duplici modo unum alteri posse opponi: 1. Simpliciter & adæquatè. 2. Secundum quid & per partes, v. g. spontaneum cum quid sit unicum, ideo unicum etiam habet oppositum simpliciter & adæquatum; nempe invitum, quod tanquam species opponitur spontaneo. Verum quia spontaneum duabus constat partibus, ut præter alios eruditè docet *Franciscus Suaretz in Comm 1. 2. Thomæ tr. 2. Disp. 3. in proœm.* notitiâ scil: & appetitu, ideo & inviti duæ assignantur partes, utpote quod debet adæquari suo opposito, nempe ex ignorantiâ commissum & violentum, quæ itidem opponuntur spontaneo non quidem totaliter accepto sed juxta partes. Invitum namq; in genere, Spontaneo in genere. Ignorantia notitiæ in spontaneo occurrenti, & violentia appetitui in spontaneo reperto contrariatur.

9. Jam si ad virtutem respiciamus idem occurret nobis. Virtus enim licet sit una, simplex qualitas, plerumq; tamen duo includit proposita, unum positivum, alterum & privativum & omissivum prioris. In actu liberalitatis v. g. duo nobis proponimus, 1. velle aliquid dare, 2. nolle omnia vel omni tempore, vel omnibus dare. Virtuti in genere opponitur vitium in genere, tanquam oberrans à mediocritate circa idem objectum, per illam vir-

tutem conſtituta, verum deinde quia duo virtus ſibi proponit, ideo vitium quoq; in duas ſecatur partes, quarum quælibet cuilibet virtutis propoſito repuguat, v. g. Liberalitati opponitur vitium, non ſervans circa pecuniam medium, quia autem iſtud medium, duos actus copulativè requirit, unum poſitivum, velle nempe dare, alterum omiſſivum, velle quandoq; non dare ideo vitium quoq; iſtas duas partes habet, unam qua nunquam vult dare, alteram qua ſemper vult dare, & manus in loculis habere, quarum prius dicitur avaritia & directè illi virtutis propoſito, quod vult dare opponitur, poſterius vero dicitur prodigalitas, & opponitur illi virtutis propoſito, quod vult quandoq; non dare. Unum ergò vitium virtuti opponitur ſimpliciter, plura ſecundum quid & per partes.

10. Sic etiam fere reſpondent *Heinricus Hopnerus in Comm. Log. ſuper Poſt præd. & Julius Pacius ibidem.* Unum uni opponitur ſc: eodem modo. Uni autem duo poſſunt eſſe contraria καθ' ἄλλο καὶ ἄλλο, ἢ ὡς ὑπερβολὴ τῇ ἐλλείψει uti loquitur Ammonius. Inde *Chryſoſt Javellus l. 10. Meth. q. 14. & Toletus in Comm. Categ. dicit,* extrema ut prodigalitatem & avaritiam eſſe contraria medio ut liberalitati quatenus hoc quidem virtutis, illa verò vitii rationem participat. *Sohnerus* deniq; *in Comm l. 10. Metaph.* de virtute dicendum eſt, inquit, quod quatenus eſt habitus, cum recta ratione, opponatur utriq; extremo, ſub unâ ratione, tanquam, uni videlicet ei, quod à rectâ ratione diſcedit, quemadmodum rectum unum eſt, curva autem infinita. Omnibus enim curvis rectum opponitur ſub unâ ratione curvi. Quatenus autem ipſa actio aut modus actionis circa objectum intenſus aut remiſſus, ſecundum exceſſum & defectum conſideratur, nullo habito reſpectu rationis rectæ aut non rectæ; tum duo extrema ſunt, v, g. prodigalitas & avaritia, quæ contraria ſunt, liberalitas autem eſt medium, ut rubrum inter album & nigrum, i. e. per participationem utriusq; : altero autem modo non eſt, ſed eſt medium per negationem rationis non rectæ ſecundum exceſſum & defectum. Hæc in actu diſputationis ex ipſo Ariſtotele *l. 5. Phyſ. c. 1. text. 6.* explicabimus.

11. Ut ultimum dubium ſolvatur, notandum eſt phraſin hanc

hanc MAGIS CONTRARIUM esse, esse ambiguam. *Tò* Magis enim in ea positum notare potest 1. *Intensionem repugnatiæ & negationis*, quâ unum contrariorum alteri repugnat, illudq; negat, quo modo id dicitur virtuti magis contrariari, quod eam vehementius negat. 2. *Intensionem resistentiæ* adversus transitum unius contrarii in alterum, quemadmodum quod gravius obstat, quo minus virtus ab homine comparetur, dicitur magis contrariari. & 3. *Intensionem quandam præeminentiæ in opposito.* Hinc hoc modo id dicendum est, magis contrariari, quod cum uni virtutis parti contrarietur, & id quo alicui tertio magis contrariari dicitur, etiam uni, licet utrinq; æquè vehemens occurrat negatio, opponitur tamen actui virtutis primariò, cum alterum istud secundariò saltem virtutis actui sit oppositum.

12. Ultimo modo sine dubio intellexit Philosophus, quando *2. Eth. c. 8. l. 1. M. Mor. c. 9. & l. 2. Eidem c. 5.* *Tò* magis intelligit. Nam cum pleræq; virtutes, duplici gaudeant actu, uti § 9. vidimus, unus tamen illorum est semper altero potior, magisq; virtutis naturam attingit, respectuq; ejus alteri præeminet, ideo etiam *τῷ* magis possunt insignire, Quemadmodum fortitudinis actus, ille qui circa formidabilia versatur, præclarior illo est, qui circa fiducialia est occupatus. Potior item Temperantiæ actus, est abstinere à voluptatibus, quàm eas appetere. Hinc quia unus horum actuum, magis ad naturam virtutis accedit, eiq; est similior quàm alter, procul dubio actus vitii & oppositus primario dissimilior virtuti longiusq; ab ea remotus erit, quam actus oppositus actui secundario virtutis.

13. Hoc modo alterum extremum altero est dissimilius, & magis contrarium, non quasi in adæquatâ ratione contrarietatis sit intensio major, sed in iis cum quibus pugna adæquata cohæret. Contraria igitur ~~æquè repugnant ratione illius,~~ quod præcisè contrarietatem & pugnam constituit, neq; in hoc est major ratio unius quàm alterius, uti rectè vult ratio formalis ex *l. 10. Met. c 6.* allata; Atqui hoc modo unum extremorum altero magis repugnare non dixit Aristoteles. Repugnantia enim & negatio semper ita uni-

formis

formis est, in quolibet oppositionis genere, & inter quælibet ejusdem generis opposita, ut ipsi repugnet magis & minus recipere. Bene tamen extrema, inter quæ formaliter dicta est repugnantia ratione virtutis possunt aliam atq; aliam rationem habere.

14. Uno verbo adæquatè contrariantur, & non magis repugnant ratione generici conceptus, quatenus utrumq; extremorum est vitium. Magis tamen & minus differunt ratione specialis conditionis, quæ ad contrarietatem propriè loquendo non pertinet, neq; adæquatè eam constituit, neq; etiam concernit tam habitum & vitium ipsum, quàm actiones ex eo prodeuntes, quæ similitudinem majorem obtinent.

15. Virtutem habitum proæreticum esse dixit *in lib. 2. Eth. c. 5.* Aristoteles, προαίρεσιν etiam facere ut actiones vel virtuosæ vel vitiosæ dicantur, laudemq; vel vituperium mereantur passim inculcavit. Hinc inter conditiones agentis collocat *l. 2. Eth. c. 5.* ut scilicet agens 1. agat εἰδὼς, 2. προαιρούμενος δι' αὐτά. 3. βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων & 4. ἡδέως.

16. Quia autem προαίρεσιν consultatio, quæ libertatem exposcit, præcedit: Libertas autem sine spontaneo esse nequit, inde meritò colligente ita Philosopho *2. Eudem 8.* Aristoteles exposita MEDIOCRITATE quæ in virtute maximoperè debebat considerari, ad hæc *actionum humanarum principia* in maxima *l. 3. Eth.* parte progreditur, & quidem ad SPONTANEUM & INVITUM quæ politicæ esse considerationis statim in principio duobus argumentis probat quæ etiam *in Eudem. & Magn. Moral.* affert.

17. Prius est quod cum per hæc facta distinguantur; etiam Politicum horum cognitione carere non posse. Hinc Plutarchus inquirens in vita Catonis Uticensis cur Injustitia apud omnes sit odiosior & detestabilior, quam vel imprudentia aut malitia, vel ignavia & audacia? *Propterea quod, inquit, Justitia & Injustitia prorsus sunt* ἑκούσια *Imprudentia autem & ignavia videantur quid ex natura habere.*

18. Posterius verò est quod Legumlatoribus, quibus præcipua

cipua pars Politices debetur, horum cognitio quam maximè utilis sit in pœnarum & prœmiorum vel moderatione vel multiplicatione. Inde l. 1. Magn. Moral. c.17. exemplum adducit de muliere quæ cum philtrum Amasio dedisset, eumq; ita interemisset, absoluta fuit in Areopago. ὅτι οὐκ ἐκ προνοίας ἔδεδώκει. Voluntas enim & propositum distingunt maleficia, ait *l. 53. ff. de furtis & l. 11. ff. de pœnis* satis superq; docetur aliud esse quod impetu aut casu delinquitur, ab eo quod consulto sive ex proposito fit, ut incendia oblata gravius etiam puniantur quam fortuita *l. 28. §. incendiarii ff. d. pœnis. In l. 14. ad leg. Cornel. de Sicariis* Divus Adrianus rescripsit: *In maleficiis voluntas spectatur non exitus*, quod ex *Cicerone* desumptum videtur *pro Milone* ubi ait: hominum consilia non exitus legibus vindicantur. Invitum enim facta excusare nullum potest esse dubium. Inde Cleon apud Thucydidem *l. 3.* ξύγγνωμων δ' ἐστὶ τὸ ἀκούσιον & Socrates in Hippia Minore, πολλή, inquit, συγγνώμη εἶναι δοκεῖ ἐὰν μὴ εἰδώς τις ἀδικήσῃ ἢ ψεύσηται, ἢ ἄλλο τι κακὸν ποιήσῃ· καὶ οἱ νόμοι δήπου πολὺ χαλεπώτεροί εἰσι τοῖς ἑκοῦσι κακὰ ἐργαζομένοις καὶ ψευδομένοις ἢ τοῖς ἄκουσιν. Videatur *l. si Obstetrix ff. ad l. Aquil. l. 12. infans ff. ad l. Cornel. de sicar. l. 1. ib. §. 3. & l. pœna parricidii ff. de ll. Pompeji de parricid.*

19. Confert autem sese ad violenti (cujus cognitio videbatur facilior) divisionem, duplexq; constituit *lib. 3. Eth. c. 1. § 2.* aliud qnod fit vi; aliud per ignorantiam. δοκεῖ δὴ ἀκούσια εἶναι τὰ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γινόμενα.

20. VIOLENTUM autem est οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν τοιαύτη οὖσα ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων, ἢ ὁ πάσχων. *l. c. §. 3.* Cujus principium extrinsecus adveniens tale est, ut rei nihil conferat is, qui agit aut patitur. Et § 3. in fine: *cujus principium extrinsecus est nihil conferente eo qui cogitur.* Ad quam accedit *Greg. Nysseni l. 5. Philosophiæ c. 1. cujus principium exterius est, non conferente secundum proprium motum, qui vim passus est*; & Damas. l. 2. de fide Orthod. c. 20. definitio, quod *principium extrinsecum habet*

N nihil

nihil suopte motu atq; conatu ad actionem conferente cui vi afferetur. Sic qui à vento, à potentibus aliò impelluntur, violenter impelli, dicuntur quomodo Judæi ab Antiocho coacti & ad sacrificium Bacchi pertracti, hedereas coronas gesserunt *l. 2. Maccab. c.16. t.7.* Lucretiam etiam à Tarquinio vi stupratam credit *Liv. Decade 1. l.1.*

21. Obstare videntur prædictæ definitioni 1. quod non videatur universaliter verum esse *principium semper debere esse foris in violento.* Ponamus enim aliquem ex superiori loco decidentem lædere puerum, quem dum decidit, videt adstare. Procul dubio invitus lædis & quidem per violentiam. Non enim per ignorantiam id facere ex hypothesi illa colligitur, qua puerum inter decidendum vidisse & sic gnarum fuisse circumstantiarum præsupposuimus. Atqui principium hujus actionis & casus v. g. gravitas non est ἀρχὴ ἔξωθεν extrinsecum principium, sed intrinsecum est ei qui decidit & projicitur de loco superiori in inferiorem & sic 2. hic idem etiam confert gravitate scil: sua ad actionem hanc Τὸ greve enim est principium de se casus. Nam si non esset corpus grave non descenderet.

22. Videtur 3. prædicta definitio competere aliis à definito, quod contra indolem bonæ definitionis est. Nam quædam forma recepta in suo subjecto est principium extrinsecus accedens ad quam nihil confert is qui agit vel patitur. Atqui quædam forma non est violenta suo subjecto. Materiæ primæ enim nullam formam violenter inesse in physicis latè probatur, appetit enim eam tanquam divinum quid uti loquitur Aristotelis *l. 1. phys. in fine* ferè vid. *Scotus l. 9. Met. q. 12. Johan de Rada controv. 1. a. 1. Svaretz. Disp. Met. 43. sect. 4.* E. quoddam quod non est violentum est principium extrinsecum cui nihil confert agens vel patiens.

23. Eadem ratio est quando lux illuminat aërem. Est enim principium extrinsecùs accedens, ut aët nihil conferat ad illuminationem, non aliter ac homo etiam nihil confert ad fidem & alios actus supernaturales ex gratia divina cum hominibus communicatos extrinsecè accedentes. Quæ omnia tandem in violentorum numero haberi velle perquam absurdum est. Eadem est ratio arte factorum, quæ non sua vi sed manu artificum extruuntur.

24. Vix

24. Vix etiam 4. Definitio assignata primo quidem intuitu contradictionem effugit, quando dicitur, *illum qui agit vel patitur nihil conferre ad actionem.* Quomodo enim agit si nihil confert ad actionem cum agendo & per actionem agat. Actio enim forma est per quam agens formaliter tale denominatur, & quomodo nihil confert ad actionem, si agit.

25. His tamen non obstantibus verissimam Aristotelicam judicamus definitionem si modò rectè intelligatur. Hoc ut fiat notabis 1. circa definitum quod licet non rarò τὸ ἀναγκαῖον necessarium cum VIOLENTO confundatur imprimis apud Scholasticos imò apud ipsum Stagiritam *l. 3. Eth. c. 1. & l. 2. Eudem. c. 8. & 9;* ἀκριβῶς tamen loquendo omninò differant & habeat se uti termini magis & minus comunes uti vocantur ex summulis *à Dutrieu tr. 1. part. 1. c. 1. art. 10.* quorũ unus quidem de altero potest dici Universaliter, sed non contrà Omnis namq; violentia necessitatem (ad minimum ex hypothesi) infert, non vero omnis necessitas violentiam. Ignis enim v. g. necessario calefacit: Calefactionem tamen violento modo inesse malè dixeris, cum ignis naturæ instinctu calorem appetat.

26. Nota 2. *principium* h. l. *idem esse cum causa* quemadmodum passim *l. 5. Met. c. 1. l. 4. Met. c. 2. & 3. l. 5. de generat. animal. c 7.* significatio hujus vocis occurrit. Et ne dubium sit quod hac in ipsa definitione ita sumat Arist: producimus *c. 15. l. 1. Magn. Moral.* ubi quod in Eudemiis dixit ἀρχὴν in Magn. Mor. vocat αἰτίαν ἐκτὸς, quo ipso causa efficiens haud obscurè indigitatur, quemadmodum etiam eo ipso illa principia quæ propria & intrinseca vi quid efficiunt removemur.

27. Rectè enim *Obertus Giphanius in Comment. eruditißimo h. l. f. 153.* duplices causas efficientes alias adventitias, alias vero interiores & proprias ex *l. 1 Rhet.* facit, ubi Philosophus *naturam, fortunam, perturbationem, rationem, voluntatem, necessitatem tanquam causas efficientes recenset.* Hinc necessitatem, fortunam rationem quoq; interdum, artem & quæcunq; extrinsecus adhibentur ad priorem classem refert; ad posteriorem verò naturam, voluntatem & rationem.

28. Non igitur id ſolum pro principio externo agnoſcit, quod *ratione loci vel ſubjecti revera eſt extra* eum qui cogitur; ſed omne illud *quod alias potentias movere poteſt contra imperium voluntatis* ſicuti rectè annotavit *poſt Burleum Gabriel Vatzquetz in 1. 2. Diſp. 25.* cujus hæc explicatio. *Dicit Foris: Quod enim eſt ab intrinſeco id eſt naturale quia oritur ex principiis intrinſecis naturæ, vel oportet ſit Spontaneum ex propria Voluntate ortum & ita non erit violentum.*

29. Eo ipſo igitur reſponſum eſt ad §. 22. licet enim gravitas non ſit principium extrinſecum Phyſicum ratione illius qui cadit, eſt tamen *ἔξωθεν* moraliter quia eſt contra appetitum & voluntatem illius qui puerum lædit.

30. Dicitur ulterius *ἐν ᾧ μηδὲν συμβάλλεται* *quod principium nihil conferat*. Non enim ſufficiebat prior conceptus uti dictum, inde aliam particulam addit. Dupliciter autem poteſt intelligi NIHIL CONFERRE 1. *negative* & h. m. id nihil dicitur conferre ad aliquid quod non attingit agens vel patiens qua ratione voluntas naturâ in ſe conſideratâ nihil confert fidei, ut homo dicatur credere in Chriſtum, & ratio humana præciſè conſiderata nihil confert ad myſteria & articulos fidei; ſunt enim præter ipſius capacitatem, ut inde meritò *πᾶν νόημα* ſub rationem fidei captivandum eſſe Apoſtolus moneat 2. *Contrarie* quomodo dicitur nihil conferre qui reſiſtit alicujus actioni v. g. qui reſiſtit vento ne huc vel illuc impellatur, nihil confert ad impulſum quod exemplum eſt ipſius Philoſophi §. 2. *οἷον εἰ πνεῦμα κομίσαι ποι, ἢ ἄνθρωποι κύριοι ὄντες.*

31. Quæritur qua ratione h. l. Ariſtoteles verba intelligat. Priori modò intelligendum eſſe *τὸ nihil conferre* videtur, *c. 8. l. 2. Eudemiorum* ſuadere, ubi ita præſentem rem exponit Præceptor: *In univerſum autem violentum, neceſſitatemq; etiam inanimatis aſſignamus.* Nam *& ignem vi, coactumq; deorſum ferri cernimus. Verum quando ſecundum naturam propriumq; impetum fertur, nec violentia, nec voluntarium ſubeſt ſed nomine caret antitheſis: Verum cum PRÆTER hæc contingunt, ut dicimus fieri,* Et paulò poſt in

fine

fine f. 265: *Quando igitur forū quippiam præter impetum intrinsecum moverit, sedaritve, vi id fieri asseveramus.* Et f.266: *Nam principium quod foris est* PRÆTER *naturalem impetum sive moveat sive motum impediat, necessitatem vocamus.* Ex quibus locis id videtur colligi quod nihil conferre sit præter impetum. Atqui præter tantum negationem infert; non verò contrarietatem.

32. *Scotus* tamen his non obstantibus *l. 4. sent. dist. 24.* contrariè hæc verba explicat, ut sensus sit, violentum ita esse principium extrinsecum ut nihil conferat cum pugna quadam & sic contra internum impetum & contra conatum internum, uti vult *Hieronymus Prætorius h.l.* Et h. modo etiam *Buridanus* in Com. hujus loci exponit τὸ nihil conferre *per resistere vel contrariari sive contrainclinare.* Non sufficit, inquit, *quodnam coagat quia tum introductio formæ in materiam esset violentum, sed requiritur ut in contrarium agat vel contra nitatur.* Videatur *Joh. de Rada f. 461. not. 2. Hornejus l. 3. c. 4. n. 11.*

33. Quod autem hæc explicatio sit ipsius Philosophi ex ipso Philosopho non solum *ex l. 2. Eth.* sed & loco nobis objecto ostendit Gabriel Vatzquetz. Nam in §. 4. ἀκούσιον vocat τὸ ἐπίλυπον καὶ ἐν μεταμελείᾳ quod molestiam affert & pœnitentiam quod repetit etiam in fine c. & § 6. in medio. Hoc modo ergo τὸ nihil conferre intellexit ut semper conjunctum sit cum molestia. Atqui τὸ nihil conferre tantum negativè sumptum non semper conjunctum est cum molestia uti constat supra ex §.30. & 31. E contra vero quia id, quod ita nihil confert ut contrarietur etiam, molestiam semper affert, ideò sine dubio etiam Aristoteles intellexit.

34. Hæc sunt quæ Vatzquetz urget, quibus addit *c. 1. l. 2. Eudem:* ex quo clarius sententiam confirmare *l. 2. Disp. 25. c. 2.* allaborat. Postquam ibi voluntarium Philosophus ex cupiditate æstimandum dixerat, pergit: *Involuntarium omne violentum videri & si violentum sit acerbum etiam esse omne scilicet quod coacti faciunt aut patiuntur.* Hanc rem ut confirmet ulterius utitur autoritate Eveni qui dixit: *Omnem rem necessariam molestam esse.* Ex quibus Aristoteles concludit: *Itaq; si quid molestum idem etiam*

N 3 vio-

violentum erit & contra. Addit: *Quicquid vero præter cupiditatem est, id omne dolorem affert: jucundorum enim cupiditas est.*

35. Sentit ergò ait Gab. inter se reciprocari molestum & violentum. Atqui nisi molestiam affert, ad quod aliquis tantum nihil negativè confert nihil fuerit insuper contra internū impetum voluntatis sive appetitus. Ergo sine dubio etiam contrariè intelligitur. Si enim aliquid ita esset præter internum impetum ut homo aut animal nihil repugnarent, sed tantum paterentur, id sanè molestiam non afferret, imo & jucunditatem generare posset. Quis enim doleret si videret à solo Deo sibi plura dona infundi nihil se cooperante? Ita etiam potest aliquis delectari si videat etiam à causa naturali aliquem motum in se excitari nihil omninò se cooperante, ut si vehatur equo vel curru, tametsi & hoc, sit violentum, quod est contra naturalem gravitatem, ut *Vatzq. l.c.* habet.

36. Ad Argumentum §.31.responde τὸ PRÆTER παρὰ non semper sumi negativè sed sæpè contrariè. Inde Præceptore *l. 2. Eudem. c. 8.* Posteriori significatione usum fuisse constanter asserit. *Nam quæ sunt præter cupiditatem* inquit Vatzquetz *non afferunt molestiam nisi contra illam sint & circa illa affectus negativè se habent.*

37. Ut tamen & nostrum σύμβολον adjiciamus & nostram κρίσιν hoc in loco fortè post Aristarchum, non aliter ut alii mediocres (absit enim gloriolam captare, hoc enim esset in mustaceo laureolam quærere) Poetæ post Homerum Iliada conscribunt, exerceamus, vim verbis Aristotelis & sic quoddam βίαιον inferri penitus existimamus: μηδὲν enim συμβάλλεσθαι vix significabit nihil conferre, ut sit contra internum impetum agentis. Non enim credo quempiam in Græca Lingua à primis unguiculis institutum & in ea enutritum hujus sensum percepturum si quis ipsi hæc proponeret.

38. Non quidem in violento esse contrarietatem nego; neq; id inficias eo τὸ παρὰ in quam plurimis locis per *contra* posse reddi. Qui enim legit caput *2. l. 1. de Cœlo* ille facile assentie-

tur

tur τὸ παρὰ esse contra Inde *l. 5. de generat: animal: c. 8.* expressè Philosophus violentum præter Naturam pro violento contra naturam sumit ut ex Sect. 1. Problematum quæst: 6. perspicitur. De hoc tamen dubitari potest, an μηδὲν συμβάλλεται ejusmodi contrarium impetum dicat, quod negamus. 2. An etiam necessarium sit ejusmodi contortam explicationem excogitare, ut de mente Aristotelis & veritate constet.

39. Judicamus ergò verba ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται simpliciter esse intelligenda. Eò ipsò enim quo appetitus est vel αἰτία ἐκτὸς respectu actionis vel passionis; vel ἀρχὴ ἔξωθεν; eo ipso licet contrarietas formaliter non importetur tamen necessariò inde sequitur saltem in naturalibus de quibus sine dubio loquitur Philosophus. Quando enim actionem suscipio vel passionem v. g. cum ventus me abripuerit ut appetitus id non velit sine dubio renitetur; præsente enim objecto adæquato quemadmodum voluntas vel vult vel non vult; ita etiam appetitus vel appetit vel non appetit, quod si non volens vel non appetens operabitur sine dubio renitente voluntate vel appetitu id faciet, v. g. Si ventus me abripiat adversus, qui secundo vento navigare mecum constituera m.

40. Dixi *innaturalibus*. Quid enim respondentum sit ad actus supernaturales qui potentiam obædientialem exposcunt, illud altioris est explicationis. Sufficit enim hoc loco quod nos cum Aristot: de ejusmodi invito loquamur, cujus actus *naturaliter* possunt à potentia superari, vel qui actus potentiæ sunt contra naturalem inclinationem, quo modo satisfacimus. § 23.

41. Neq; difficile est respondere ad §. 22. si quis latius violentum cum Scholasticis & Jesuitis *super 1. 2.* extendere velit. Materia enim eo ipso quo appetit, Principium non habet foris seu extrinsecum sed intrinsecum. Atqui *quando inanimata secundum naturam propriumq; feruntur impetum, nec violentum, nec Spontaneum subest, sed nomine catet antithesis,* inquit Aristot: *l. 2. Eudem. c. 8.* Licet enim forma extra materiam inveniatur; tamen cum

non

non de Physico principio agamus, hoc ipsum etiam quod extrinsecum est Physicè, non obstat.

4 2. Præterea supra ex Aristotele docuimus principium efficiens hoc loco intelligi, quod materiæ attribui nequit, ut & aëri illuminato in §.22. hæc enim non tam appetunt propriè & efficienter quam formas recipiunt. Atqui violentum dicitur ut & spontaneum ratione appetentis & agentis. Quò ni fallor respexit *Andronicus Rhodius* (si modo hunc opus Ethicum à *Daniele Heinsio* editum authorem agnoscat) *l. 3. c. 1. f. 73:* βίαιον ἐστὶν, οὗ ἡ ἀρχὴ οὐκ ἐν τῷ ποιοῦντι, ἀλλὰ ἔξωθεν, ἐν ᾗ οὐδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων ἢ ὁ πάσχων. *Violentum est cujus principium non in agente est, sed extrinsecus, cui nihil confert aut qui agit aut qui patitur. Ut si quem aliquo impulerit ventus aut ê loco in locum transtulerit, aut alii homines in quorum vel potestate sumus aut qui nolentem etiam possunt impellere.*

42. Facilè ad § 24. respondetur negando contradictionem in assignata definitione contineri. In præsenti enim negotio alia est actio quam quis agit, alia est actio ad quam quis nihil confert v. g. si Titius à Sempronio vel Cajo protrudatur in flumen est tum actio voluntatis interna, quâ Titius aversatur flumen, tum resistentia membrorum. Ad propulsum Titius nihil confert, non enim consentit vel propulsum appetit, agit autem vel quatenus aversatur flumen interno voluntatis actu & resistit per membra corporis. Ad Vatzquetz discursum § 32 33 34 35. in actu Disputationis respondebo.

43. Invitum PER IGNORANTIAM vel imprudentiam ut intelligatur notandæ sunt ex Aristotele nonnullæ distinctiones quarum cognitio ut id quod Aristoteles vult, cognoscamus, necessaria est. Ignorare autem non planè idem est ac nescire, quod benè *Thomas 1. 2. q. 76. a. 2.* observavit. Nescire enim cum pura negatione stare potest, Ignorantia autem privationem exposcit, quæ non nisi subjecto capaci tribuitur. Hinc ea quæ ignoramus, scire possumus, ut nescire tamen dicamur, quæ cognitu sunt impossibilia.

44. Du-

44. Duplex autem alias l. 1. Post. c. 16. ignorantia ab Aristotele affertur. alia sc. puræ privationis, quando quis nullam planè alicujus rei scientiam habet aut cognitionem; alia pravæ dispositionis quum quis falsam & erroneam notitiam possidet, vel quando quis judicat rem illud esse quod reverâ non est. Hæc aliàs *Error* propriè vocatur. qua de causa etiam *l. c.* §. 1. dicitur *ἀπάτη διὰ συλλογισμοῦ γινομένη.*

45. Hoc loco autem c. 2. illas imprimis distinctiones Stagirita urget, qua 1. alia Ignorantia est quam comitatur dolor & *μετάνοια*, alia quam nullus dolor est comes. 2. aliud est Ignorantem aliquid agere, aliud ex Ignorantia agere. 3. alia Ignorantia Universalis alia particularis. Ideo autem afferuntur ut hac occasione explicetur, quænam harum actionem Moralem invitam reddant, hominemq; vel accusent vel excusent.

46. Certè si Ignorantiam sequeretur dolor sine dubio est verè invitum, conjunctum enim habet dolorem. Hinc Oedipus apud Sophoclem in Colono se excusat, matrisq; nuptias & patris cædem dolet Matrem enim Jocastam incognitam patre interfecto nomine Laio (quem nunquam cognoverat obviam sibi venientem interfecit quasi hostem) duxit in uxorem, ex ea Eteoclem & Polynecem suscepit, vid. Stratio *l. 1. Thebaid. & Seneca in Oedipo & l. si adulterium §. 1. ad L. Jul. de adult.* Ad invitum tamen simpliciter ita dictum alterum genus non refertur ab Aristotele. Qui enim forte emisso telo novercam læserat ignorans dixeratq; : *Euge & hoc non male*, vix inter illos qui simpliciter inviti agunt numerabitur, cum gaudeat facto, quamvis neq; *ἑκὼν* simpliciter fuerit. Inde Aristoteles etiam distinguit inter volens, nolens, & non volens, quod tertium membrum ideò additur quod cum res distinctæ sint, verba etiam discrepare debere, quod *Cic. in Top.* ita effert: *Quanquam enim*, inquit, *vocabula idem valere propè videantur: tamen quia res differunt, nomina quoq; distare voluerunt.* Commodius enim est singulas causas singulis appellationibus distingui ait *Imperat. Justin. quib. mod. testamenta infirm. §. 5.*

47. Ita etiam qui ignorans aliquid agit non invitus dicitur agere, sed qui agit tantùm per ignorantiam. *Per ignorantiam a.* dici-

tur quis *agere* quando ignorantia est princeps causa totius quidem actionis, ita quidem ut nisi accessisset ignorantia actio patrata nunquam fuisset. Quomodo per Ignorantiam Jacob rem habuit cum Lea quam putavit esse Rachelem. Hinc Theodor. & multi Patrū, imprimis *Chrysost. 29. in Gen. q 65.* ad quos accedunt *Lyra, Tostatus h. l. & Perer. l. 14. in Gen. p. 400. Marius p. 108.* Noachū excusant ab Ebrietate. Dicunt n. vini vim ipsum ignorasse, de qua sibi si constitisset, nunquam profectò tantum bibisset. *Gen. 8, 2.* quibus tamen subscribere non possumus. Vini n. usum ante tempora Noachi non ignotum, sed in usu fuisse, alii eruditissimi Theologi demonstrant. *Ignorans v. agere* dicitur is, qui in eo ipso actu, quo agit hoc, ignorat quidem quod agat, verum ignorantia illa non est causa nudæ actionis sed aliud quoddam, quod ignorantiam illam induxit. Tales sunt ebrii, irati, amori aut qua alia perturbatione commoti.

48. Ubi tamen distinguas inter ebrietatem & iracundiam quæ judicium rationis tollunt & ubi mens adhuc officio qualiquali etiam præesse potest. In posterioribus licet JCti aliquo modo excusent agentes *l. prospiciendum ff. d. pœnis & in l. quicquid ff. d. Divers. R. I.* quemadmodum etiam Philosophus qui irâ peccant non tam graviter peccare quam qui libidine *l. 7. Eth. c. 6. & 7.* autumat; tamē malitiam moralem adesse certissimum est. Si a. ebrietas usum rationis sustulerit ut quis ex ebrietate profunda facinus commiserit, illi culpam quo ad illum actum non posse imputari credimus.

49. Non ignoramus quidem *Pittacum teste Arist. l. 3. Eth. c. 5. & l. 2. polit. c. ult.* ebrios, quem pulsassent, duplici pœna mulctari voluisse, à cujus partibus multi etiam hodiè stant. Attamen si liberè philosophari nobis concedatur vix huic assertioni accedere possumus. Nam tam diu actus extremus malitiæ moralis capax est, quā diu liberè producitur & liber est. Actus a. ex ebrietate profunda ortus liber non est cum intellectus & voluntatis usus per eam sublatus sit. Similes n. sunt furiosis qui *l. 4. ff. de servit.* inviti dicuntur nec aliquam voluntatem habere videntur *l. furiosi ff. d. divers. R. I.* E. & malitia moralis non est capax *V. Vatzq. D. 127. c. 3. n. 12.*

50. Nec est quod dicas Ebrietatem tamen esse voluntariā. Ergò quod sequitur exinde v. g. homicidium etiam voluntarium ac liberum erit. Quicquid n. est causa causæ, est etiam causa causati uti

habet

habet communis Scholasticorum regula. Nam ut nihil dicam quod sæpè prçter spem iuterdum hominem aliàs cogitationibus distractum Ebrietas obruat; tamen 2. nulla est consequentia in majore. Ad hoc e. ut aliquod opus exterius sit malū, non satis est liberam sui habisse causam quomodocunq; sed etiam opus est ut semper maneat sub libera operantis potestate. Sic homo ante insaniam & furorem contrahere, testamentum constituere potest, libertatemq; & voluntatem dicitur habere quæ tamen ipsi postea per *d.l furiosi* denegatur. Per furorem etenim libertas aufertur, neq; manet libertas agendi amplius. Hinc Arist. *l.3. Eth. c.3.* agens de iis quæ nostræ sunt electionis probat quædam quidem esse initio nostra in potestate & libertate, non tamen in progressu. Idem contingit in ebrietate usum rationis tollente, quæ tamen probatu est difficilima quemadmodum in actionibus ex iracundia ortis observat *Imp. l. 48. ff. de R. I.*

51. Restat ignorantia *Universalis & particularis* quarum priorem multi Ignoratiam Juris, posteriorem ignorantiam Facti vocant, de quibus integer tit: in Cod. extat. de Juris & facti Ignorantia.

52. Universalem vulgò vocant, qua aliquis Jus ignorat, vel qua jus & malitia operis ex culpa aliqua ignoratur, quam tamen explicationē tolerare non possumus. Aristot. n. propter hanc imprudentiam homines reprehendendos existimat. Atqui non omnis qui Jus quodcunq; ignorat reprehenditur. E, Minor probatur non solum *ex l.1.& ult. c. d. Jur.& facti Ignor;* Ubi mulieribus ob simplicitatem, militibus verò ob absentiam& laborē repetitio conceditur, ob id quod jus suum ignoraverint; sed etiam ex eo quód cum Jus non tantum sit naturæ sed & legitimum, quod multis modis variat, etiam quoddam jus humanum scilicet (juris naturalis n. ignorantia actionem invitam reddere nequit ut habet *Thomas 1.2 q 94. art 6.*) Ignorantiam invincibilem (de qua ut & antecedente concomitāte& consequente *v. Thom. c.1.2 q.6 a 8.& ib. Vatzq. Horn.* & alios) quæ omnium calculo excusat, producere potest.

53. Meliorem nostro judicio & ad Aristot. magis accommodatam explicationem habet Doctissimus Eustratius h. l. qui non intelligit ignorantiam speculativam, quâ lex & malitia operis ignoratur, sed Practicam, quum pravus ignorat quid ei conveniat agere, ut eruditè Vatzquetz 1. 2. Disput 121. c. 3. notavit. Hinc Eustratius *Licet,* inquit, *pravus dum peccat, sciat illud esse peccatum, ignorat tamen quid ei*

 magis

m gŭ expediat in operatione deceptus utilitate & commoditate præsentis operis.

54. Quid? Non tam Eustratii quam ipsius Philos: est quando dicit: ἀγνοεῖ μὲν ἓν πᾶν ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ὧν δεῖ ἀφεκτέον· καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν, ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. *Unusquisq; igitur pravus quid agendum, à quibusq; abstinendum sit ignorat; atq; hujusmodi errorem injusti & omninò mali afferunt homines.* Et statim addit: *Invitus igitur dici debet non si quis ignorat ad quod conducit non n. ignoratio quæ in electione consistit inviti est causa sed pravitatis.* Lucem afferre potest c. 3 l. 7. Eth ut & c. 5 & c. 9. l. 2. Eudem. Appellat autem hanc ignorantiam universalem quia contingit aliquando leviter considerare id quod conveniens est in universum propter pravum affectum: aliquando ob eundem pravum affectũ contingit leviter considerare particulare.

55. Ab hac explicatione non recedit Andronicus Rhodius (nominemus enim ita paraphrastem Heinsii) f. 94. *Ignorantem dicimus agere cum qui irascitur cum inebriatur, aut simili peccat modo. Hic enim non propter ignorantiam sed propter voluptatem quam respicit, aut aliud quid hoc agit, ignorans tamen, Quivis enim quæ facienda & à quibus abstinendum est, ignorat improbus. Ac per hujusmodi errorem injusti fiunt homines aut omninò improbi Hujusmodi autem actiones non sunt invitæ, Quæ namq; in præelectione est ignorantia, unde nascuntur hæc vitia, non est causa inviti sed improbitatis. Hoc enim si aliquis in genere ignorat malam esse ebrietatem, hoc inviti causa erit.*

56. Hæc omnia à Philosopho adducta sunt ut ostendat quænam ignorantia actionem invitam reddat, non quæcunq; imprudentia sed ἄγνοια τῶν ἑκάστων, quâ ex ignorantia nescit quis singula ut dolor actionem subsequatur.

57. SPONTANEUM autem est οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις: Cujus principium est in ipso sciente singula in quibus actio versatur. De quo plura dicere jam prohibemur.

Ad Dn. Respondentem conterr: suum,

SPONTE *decus recti morumq; secutus honesta,*
Non potes INVITUM *prætimuisse decus.*
Ærumimmite quidem, sed Te par gloria sperat;
Quippe INVITA *dabit non Tibi,* SPONTE *dabit.*

JOH: RAUE, Berlin.